

Hermannchronik
(MGH SS 5, S. 131.37–133.43)

Wien Hs. 3399, Fol. 106^v–109^v
Muri-Sarnen Hs. 10, Fol. 96^r–97^r

hoc exemplum secuti, relictis omnibus, idem propositum adgrediuntur.

Imperator Henricus, magno apud Triburiam conventu habito, filium aequivocum regem a cunctis eligi, eique post obitum suum, si rector iustus futurus esset, subiectionem promitti fecit.

Ad quem conventum cum Counradus, dudum Baioariae dux, venire nolens, cum expeditis militibus regi rebellare moliens, Ungariis se adiungere temptasset et Carentani fines invasisset, quibusdam inibi, quae prius habuerat, possessionibus suis ab imperatore privatus est, eas quasi legaliter acquirente. Ibi etiam legati Andreae regis Ungariorum pro pace pactoque missi, cum, suffragante Ratisponense episcopo, inmensam pecuniam suaeque provinciae partem et ad expeditiones imperatoris omnes, praeter Italicam, suos ituros promitterent eaque omnia regem suum impleturum sacramento promitterent, imperator ea se accepturum fide data spondens, eos remisit.

Hadamuta de Niunburgo abbatissa venerabilis, quae locum suum, prius pene dilapsum, intra et extra laudabiliter recuperatum in optimum deduxerat statum, aliam pro se designans, et sororibus pie admonitis ultimum vale

Imperator Henricus, habito apud Triburiam magno conventu, filium equivocum regem a cunctis eligi eique post obitum suum, si rector iustus futurus esset, subiectionem promitti fecit.

Illuc Chuonradus dudum Baioariae dux, dum non venisset et Ungariis se adiungere temptasset, quibusdam suis possessionibus ab imperatore privatus est. Ibi etiam legati Andree regis Ungariorum, qui pro pace componenda advenērunt, composita etiam ab imperatore, remissi sunt.